Nos ANDREAS CAROLUS

TITULI S. ANASTASIÆ

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS FERRARI

THEOL. FAC. PARMENSIS DOCTOR COLLEGIALIS

MEDIOLANENSIS THEOLOGICÆ PONTIFICIÆ FACULTATIS MAGNUS CANCELLARIUS

Dei et Apostolicæ Sedis gratia

Sanctæ Mediolanensis Metropolitanæ Ecclesiæ

ARCHIEPISCOPUS

universis in Xsto fidelibus salutem in Domino.

Iterum atque instanter petiverunt a Nobis incolae loci vulgo Cassina S. Carlo de paroecia partim Serenii et partim Decii, quatenus dignaremur eorum necessitatibus spiritualibus providere per dicti loci dismembrationem et novae parochialis curae in dicto loco erectionem. —

Causa petitionis erat non parva distantia, qua dictus locus elongatur ab ecclesiis parochialibus Serenii et Decii; —

Jam nunc, auditis Praepositis Parochis Serenii et Decii, quorum paroecia est partialiter dismembranda; —

Re collata insuper in consilio, quatenus de jure, Capituli nostri Metropolitani; —

Rati et certi in praesenti casu ea omnia occurrere quae ad novae paroeciae erectionem requiruntur, ad tramitem Const. Alexandri III, quae incipit: Ad audientiam et c. 4. sess. XXI de r. Sacrosanctae Tridentinae Synodi, sicut Ipsimet hodie perspicimus in hac sacra pastorali Visitatione, et antea ex certa notitia perspectum habebamus. —

In hoc ipso actu pastoralis Visitationis, quam hodie peragimus, Deo adjuvante, in hoc loco vulgo Cascina S. Carlo, in majorem Dei gloriam atque ad animarum salutem augendam, auctoritate nostra ordinaria, necnon tamquam Apostolicae Sedis jure delegati, adstante Clero et populo praedicti loci, in ecclesia hac S. Carolo Borromeo dicata, solemniter edicimus, decrevimus et declaramus, sicuti edictum, decretum et declaratum volumus et jubemus quae sequuntur: —

nimirum locum vulgo Cascina S. Carlo cum accessionibus et pertinentiis spiritualiter esse dismembratum, sicut illum dismembramus et dividimus a spirituali jurisdictione Parochorum Serenii et Decii; in eoque loco novam parochialem curam institutam et erectam esse volumus et declaramus, sicut illam praesentium tenore et vi instituimus et erigimus. —

Confinia territorii novae paroeciae assignati illa erunt, quae lineolis rubri coloris describuntur in typo huic decreto allegando sub nostra subsignatione. —

In dotem beneficii parochialis conferimus: I°. syngraphas publici nominis sub numeris 1,052,381 et 655.005 a piis benefactoribus sacerdotibus Jacobo et Carolo Mantegazza dispositas, quemadmodum resultat ex instrumento die 30ª augusti anno 1883 rogato a publico notario Josepho Sirtori Modoetiae residente; a

quibus syngraphis erit separandus redditus annuus 150 libellarum, quae in no=
vam syngrapham erunt contestendae ab ecclesia novae paroeciae nominandam
et cum adnotatione quod partim inservire debeant in celebrationem annualis,
quod in dicto instrumento praescribitur; reliquo redditu nominato a beneficio
parochiali dicti loci. cuius tamen onera ita temperamus, auctoritate Apostolica
qua fruimur in hac parte, ut parochus pro tempore teneatur tantum ad
Missam applicandam pro populo et unam Missam singulis hebdomadis
applicandam pro benefactoribus; 2º emolumenta omnia extraordinaria, quae
ex exercitio curae animarum in dicto loco redundabunt.

Nomen novae paroeciae hoc erit simpliciter: San Carlo, atque eamet erit
de Vicariatu foraneo loci Serenii, cui etiam illam tamquam viciniorem adsignamus.
In matricitatis signum parochus loci S. Caroli offeret quotannis in die festo
S. Josephi Praeposito Parocho loci Serenii inter Missarum solemnia candelam
unius librae.

Nemo hanc paginam auctoritatis nostrae infringere aut laedere quomodo=
cumque praesumat, quam volumus effectum habere ab hoc ipso die,
quo manu nostra fuit signata.. Lectum et publicatum fuit hoc no=
strum decretum loco de quo supra, in actu quo hanc ecclesiam et populum
loci S. Carlo personaliter visitabamus hac die XXXª mensis octobris, feria se=
cunda, anno millesimo nongentesimo quinto, Pontificatus autem Pii
X. feliciter regnantis anno secundo.

† Andreas C. Card. Archiepus

ANDREAS C. CARD. FERRARI ARCHPUS MEDIOLANEN